

ad actum electionis, sed ipse finis, ideo tali actui finis dat speciem essentialem; respectu vero aliorum actuum, qui ex fine derivantur, solum dat speciem accidentalem, quia respectu illorum actuum solum se habet ut circumstantia, et ut causans, seu influens in productionem effectus, seu actus, unde solum participative communicatur actui electionis, et accidentaliter bonitas, vel malitia intentionis, quatenus influit intentio in electionem, et hæc induit habitudinem, et ordinem ad ipsam ut ad imperantem, et per hanc habitudinem, de ejus bonitate participat, aut malitia: sicut filius ex origine a parentibus trahit nobilitatem, vel infamiam.

XLIV. Sed inquires: Quando in ipsomet objecto est duplex bonitas, aut malitia, et utraque relucet in actu, et participatur in ipso (sicut diximus in prima conclusione) quænam ex illis specificat primo, et essentialiter.

XLV. Respondetur quod (ut ibi diximus) qui sentiunt posse actum habere æque, et immediate plura objecta formalia adæquata, consequenter non reputabunt inconveniens, quod ille actus habeat plures species ab objecto, vel objectis adæquate, et ex æquo. Cæterum in nostra sententia hoc difficultatem non habet, quia non admittimus casum, quod possit in aliquo objecto formali relucere duplex bonitas, aut malitia adæquate, et æque primo, sed si plures concurrunt, illæ erunt inadæquate, et accipientur per modum unius respectu unius actus, qui a tali objecto specificabilis est, et sic illa adæquata bonitas, vel malitia integrata ex pluribus, dabit actui speciem sub aliquo uno motivo, et formali ratione, quatenus adæquate est una, sicut etiam in scientiis plures conclusiones, et veritates conveniunt in aliqua ratione

una adæquata, et scibili, quæ scientiam specificat. Si autem illæ plures bonitates, vel malitiæ conveniunt in uno objecto materiali, sed inter se non possunt uniri in aliquo motivo adæquato formali, sed adæquate se habent in specificando moraliter, tunc negamus, quod possint ab uno actu attingi, sed a pluribus sicut circa idem objectum materiale, verbi gratia circa honorem debitum potest versari et magnanimitas intendendo, et procurando magna opera ex quibus sequitur debitus honor, et humilitas fugiendo honores ex consideratione propriæ infirmitatis.

XLVI. Dico quarto: Circumstantiæ, sive ex parte finis se teneant, sive ad alias circumstantias pertineant, aliquando præbent actui speciem accidentalem, quæ est distincta malitia, vel bonitas ab ea quæ essentialis, et specifica est in actu; aliquando vero non præbet speciem distinctam malitiæ, vel bonitatis, sed solum auget præcedentem. Si tamen circumstantia transeat in conditionem objecti, et desinat esse circumstantia, non præbebit malitiam, vel bonitatem accidentalem in tali actu, sed essentialem et specificam. De hac conclusione, et ejus partibus latius agendum est sequenti disputatione, ubi tractandum est de circumstantiis. Modo autem illam ponimus solum ut doctrina data de specificatione actuum, et concurrentia diversarum specierum in eodem actu magis explicetur. Nam pro fundamento certo suminus id, quod supra conclusione prima explicatum est, non posse eundem actum etiam in linea morali duas specificationes æque primo adæquatas, et formales habere, sed unam tantum, quæ essentialis, et specifica est in actu, quia ab objecto, vel ab eo quod transit in conditionem objecti desumitur, et objectum ut tale semper

dat speciem actui, et essentialem rationem. Quare si plures species bonitatis, vel malitiæ concurrunt in actu, oportet quod non omnes sint essentielles et specificæ, quia non omnes desumuntur ab objecto, eo quod objectum adæquatum, et formale unum est, nec possunt duo objecta formalia adæquata dari respectu ejusdem actus, sicut nec duæ essentialiæ, et species adæquate, et totales. Oportet ergo, quod ubi concurrunt plures malitiæ, vel bonitates distinctæ (quod si distinctæ sunt in eodem numero actu, non possunt solo numero differre, sed specie) ea quæ essentialis, et specificativa est in actu sumatur ab objecto; reliquæ quæ accidentales sunt, et non specificæ, desumantur a circumstantiis, seu ab his quæ objectum non sunt, nec munus, seu officium objecti habent, id est, specificandi, sed extra objectum manent, et sic circumstantiæ sunt.

XLVII. Hoc supposito, dicimus circumstantias triplici modo se posse habere in danda malitia, vel bonitate actui. Primo modo, ita quod bonitas, vel malitia actus specifica, et ex objecto sumpta sit omnino distincta a bonitate, vel malitia, quæ sumitur ex circumstantiis, ita quod non augeat, vel minuat, sed distinctam præbeat. Secundo, quod circumstantia non præbeat distinctam omnino bonitatem, aut malitiam, sed infra latitudinem talis bonitatis eam solum augeat, vel minuat. Tertio modo, quod circumstantia transeat in conditionem objecti, et sic non det accidentalem bonitatem, vel malitiam, sed essentialem, et primam, quia jam non manet in vi circumstantiæ, sed induit munus, et formalitatem objecti specificativi. Exemplum primi, sicut quando quis furatur ut mæchetur, aut quando quis facit furtum in loco sacro, addit enim supra furtum

malitiam sacrilegii, quod nova species est malitiæ. Exemplum secundi, ut cum quis furatur quantitatem magnam, verbi gratia centum, quod addit supra speciem furti non malitiam distinctæ speciei, sed eandem magis extensam. Et similiter cum quis intensius, aut diutius operatur eandem speciem operationis, addit perfectionem aliquam bonitatis, vel malitiæ non diversæ, sed ejusdem speciei. Exemplum tertii, ut cum quis dat eleemosynam propter vanam gloriam, tunc enim vana gloria, quæ est finis operantis transit in conditionem objecti, quia facit illam eleemosynam esse materiam inanis gloriæ.

XLVIII. Circa istos modos, quibus circumstantia potest se habere erga actum, plenius dicemus disputatione sequenti, et difficultates quæ circa illos sunt attingemus. Nunc solum advertite tria. Primum est, quod quando circumstantia dat distinctam malitiam, vel bonitatem illo primo modo, ideo est, quia de se, et ex propria ratione importat specialem dissonantiam, et deformitatem ad regulas rationis, ita quod ratione sui sufficeret dare speciem actui, si illam non inveniret ab objecto datam, et ipsa haberet, seu transiret in conditionem objecti; sed quia solum adjungitur actui habenti jam speciem suam ex objecto, non dat speciem essentialem, sed accidentalem, sicut in furto sacrilego, irreverentia loci sacri per se sufficeret dare speciem, etiamsi si non supponeret speciem furti, ut si quis indecenter, et contemptibiliter tractaret res sacras. Quod secus est, quando circumstantia se habet secundo modo, tunc enim cum solum sit conditio augens, non sufficit unquam de se dare speciem, sicut acceptio rei in notabili quantitate non dat, vel auget malitiam, nisi supponendo rem illam esse alienam, quæ est

substantia furti. Quare ubicumque circumstantia, aut finis non habet rationem objecti, sed est finis operantis, sive sit proprius ipsius electionis, et ad quem per se tendit, sive disparatus, et extraneus nunquam dat speciem essentialem actui, neque rationem genericam, quia tantum circumstantia est, et finis movens, non constituens, et specificans, quod non negat D. Thomas in hac quæstione XVIII, articulo VII, ut in solutionibus argumentorum videbimus.

XLIX. Secundo adverte, quod solum in duobus casibus (ut sequenti disputatione dicemus) circumstantia transit in conditionem objecti, ita quod præbere possit essentialem speciem in genere moris. Primo, quando circumstantia ista morales, et finis adveniunt actui ex objecto suo indifferenti; secundo, quando circumstantia, vel finis malus advenit objecto alias bono: tunc enim bonitatem ejus destruit. Ratio hujus est, quia ut circumstantia transeat in conditionem objecti, necesse est quod det actui primam specificationem in genere moris, nam si supponit illam constitutam erit accidentalis illa, quæ supervenit, non substantialis, seu essentialis, quia non potest constituere si supponit aliam priorem. Solum autem potest circumstantia dare primam speciem, aut quia ex parte objecti non supponitur data eo quod objectum est indifferens, nec dat determinate unam vel aliam, et tunc si determinatur a fine, vel circumstantia, illa erit prima species, et sic non erit accidentalis, sed essentialis in illo genere, quia accidentalis advenit speciei, et essentialis jam constituta. Vel potest dare circumstantia primam speciem quando destruit illam quæ ex objecto erat et introducit suam, destructa enim illa priori, quæ est ex objecto, ista secunda

quæ subrogatur loco illius, redditur prima. Ergo solum in istis duobus casibus circumstantia transibit in locum objecti.

L. Constat autem posse bonitatem ex objecto proveniente destrui a fine, vel circumstantia mala superveniente, e contra vero non posse malitiam semel ab objecto acceptam destrui a bonitate, circumstantia superveniente. Et hoc ideo, quia facilius est destruere bonitatem quam adstruere, cum malum sit ex quocumque defectu, bonum ex integra causa. Quare ad destruendum bonum, sufficit ex quacumque parte poni defectum, et sic etiam si ex sola circumstantia proveniat, destruere potest, et impedire ne bonitas ex objecto proveniat in actum, eo quod non manet integritas si claudicat ex una parte, et sine integritate non datur bonitas. E converso autem bonitas ex circumstantia non potest destruere malitiam ex objecto, quia malitia non destruitur a bonitate, nisi reddendo bonum, et adstruendo integritatem. Non potest autem a sola circumstantia adstrui bonitas manente objecto ex se malo, et ipsa circumstantia manente. Si autem malum objectum non manet, jam objectum est aliud, eo quod (ut supponimus) malitiam habet ex se. Ergo non potest sola circumstantia destruere malitiam, et adstruere bonitatem, potest autem sola destruere causando malum, quia tunc non adstruitur bonum, sed pure destruitur. Ad destruendum autem sufficit tollere integritatem, et plenitudinem, sic enim non erit bonum: non sufficit autem sola circumstantia bona implere, et adstruere integritatem si non destruitur intrinsicum objectum, quod ex se est malum.

LI. Quod si dicas: Quomodo potest circumstantia mala destruere speciem essentialem bonam, cum

aliquando non sit illi contraria, quia sub eodem genere non continetur, sed disparate se habet, sicut jejunium, et vana gloria; jejunio enim solum opponitur contrarie gula, seu intemperantia, non inanis gloria; quomodo ergo illa circumstantia destruit bonitatem, quæ illi non opponitur contrarie, respondetur quod circumstantiæ malæ etiam si sint disparate, contrariantur virtuti, et non ex genere, seu specie operis, sed ex intentione operantis, quia vult illum actum subordinare fini pravo. Intentio autem prava directe et per se destruit intentionem bonam, et rectam, indirecte autem et virtualiter etiam bonam electionem, quæ ex ea consequitur tamquam a principio: sicut assensus conclusionis potest destrui, aut directe, quia contrariæ conclusioni assentimus, et dissentimus ab ista; aut indirecte et virtualiter, quia principia ejus destruimus, ex quibus conclusio ipsa deducitur. Sufficit autem virtualis, et indirecta oppositio, ut aliquid destruat ab alio, et pugnet cum illo.

LII. Tertio adverte, quod licet circumstantia det speciem accidentalem actui habenti primam speciem essentialem ex objecto, tamen quoad praxim confessionis parum interest ista subtilitas de essentiali, vel accidentali specie, dummodo utraque malitia declaretur, quia hoc ipso quod est distincta specie malitia, parum interest quod actui adveniat primario vel secundario, essentialiter vel accidentaliter ex intentione operantis, vel ex specie operis; sufficit quod de se specie distincta fit, et inveniatur, seu concurrat in actu, sic enim explicanda est in confessione. Si enim fecisti furtum in loco sacro, non sufficit dicere furti speciem, sed etiam sacrilegii, licet in illo actu sacrilegium accidentaliter se habeat ad furtum; et si

furatus es ut mœchiam committeres, utramque malitiam oportet confiteri; et hoc sive sit in actum exteriorem prolata, sive in actu interno retenta, utrobique invenitur malitia illa duplex, quia: *Qui videt ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo*; et sic debet confessione explicari. Licet enim in opinione versetur, an circumstantiæ aggravantes tantum debeant necessario confiteri, ut quantitas magna in furto quando quis peccatus est eam, quæ sufficit ad peccatum mortale, tamen quod circumstantiæ mutantes speciem sint necessario confitendæ nullus ambigit. Quod autem mutent speciem adveniando actui accidentaliter, vel essentialiter primam speciem constituendo, parum interest, dummodo tales species sint, quæ de se importent diversam deformitatem ad rationem, et diversam rationem peccati mortalis, et possent speciem essentialem constituere pro objecto ponantur. De quo amplius sequenti disputatione dicemus.

LIII. Quomodo autem circumstantia debeat esse nolita non solum ut malitiam præbeat (ad hoc enim non requiritur ut sit directe intenta, sicut diximus præcedenti disputatione) sed ut bonitatem communicet, sicut etiam ipsum objectum ut specificam bonitatem influat in actum in solutionibus argumentorum explicabitur, quia id pertinet ad principale fundamentum Vazquez.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

LIV. Primo arguitur fundamento Vazquez contra primam nostram conclusionem, ad probandum non posse in eodem actu interiori duplicem bonitatem moralem. Nam quando objectum habet duas bonitates, ut si quis velit dare eleemosy-

nam alicui, et quia pauper est, et quia sacerdos, vel cognatus, non potest utramque intendere simul tamquam finem; ergo oportet quod duplici intentione, atque adeo duplici actu illam velit; et licet actu externo eodem utramque exequatur, tamen actus internus duplicem illam bonitatem intendens non est unus, sed multiplex, cum a diversa virtute proficiscatur, misericordia, et religione, vel pietate. Quod etiam a signo manifestatur, quia potest voluntas velle unam istarum bonitatum sine alia; ergo quando utramque illam bonitatem conjungit, duplici actu conjungit. Item, quia intellectus non potest simul plura ut plura intelligere, ergo neque voluntas potest velle plures bonitates, nisi per plures actus: eadem enim ratio est de voluntate, et intellectu.

LV. Respondetur argumentum hoc in primis instari in ipsamet Vazquez doctrina: sic enim admittit ipse, quod idem actus interior adorationis erga Christi Domini humanitatem potest esse, et patriæ, et hyperdulæ, quamvis hoc a diversis proficiscatur virtutibus, quia duplici titulo ei debetur; cur non poterit idem actus eleemosynæ, seu voluntis dandi eleemosynam procedere duplici titulo erga eundem hominem, et titulo sacerdotii, et paupertatis, licet a duplici virtute proficiscatur? Dicimus ergo, quod duplex illa bonitas non potest amari unico actu, tamquam duplex finis omnino adæquatus, et diversus, et sine ulla subordinatione inter se, aut cum aliquo tertio, tunc enim a diversis plane actibus elicitur. Potest tamen una ex his bonitatibus alteri subordinari, vel utraque uni tertiæ, ut si in illo casu velit quis dare eleemosynam illi pauperi imperando illam a religione, quia sacerdos est, et in cultum Dei cedit; vel utram-

que subordinando charitati, quia aliquid Dei est ille pauper, et sacerdos, et sic unico actu attinget utrumque. Et sic proficiscitur a duplici virtute, distinguo; æque primo, et immediate, nego; cum subordinatione unius ad alterum, vel utriusque ad unam tertiã virtutem, transeat.

LVI. Quod vero possit voluntas separare unam bonitatem ab alia, concedimus, quia revera una non est necessario connexa cum altera, sed potest unamquamque illarum tamquam adæquate distinctam considerare, et velle. Potest nihilominus etiam utramque conjungere, et inadæquate quamlibet respicere, vel subordinando unam alteri, vel utramque uni tertiæ, in qua ut in motivo superiori jungantur. Ad ultimam probationem respondetur probare eodem modo philosophandum esse in intellectu, et voluntate (ut supra diximus) quod nimirum plures honestates non potest unus actus respicere tamquam diversa objecta formalia adæquata, et inter se, aut uni tertio non subordinata, bene tamen si aliquo istorum modorum fiat.

LVII. Secundo arguitur fundamento Vazquez contra secundam conclusionem deducto, tum ex auctoritate Aristotelis tum D. Thomæ. Auctoritas Aristotelis est quia ipse dicit in secundo ethicorum, cap. IV: « Quod ut actus justitiæ sit bonus non sufficit, quod sit circa rem justam, sed requiritur quod fiat scienter, secundo ex electione, tertio propter ipsum: » et in sexto ethicorum, cap. XII, inquit philosophus: « Quod actus virtutis debet fieri non ignoranter, secundo non ab invito, tertio ob hoc, id est, propter ipsius virtutis honestatem. » Sed quando aliquis vult objectum justitiæ propter alium finem, qui etiam honestus est, non facit propter ipsam justitiam; ergo

non operatur juste, licet operetur justum, quia non operatur propter ipsam honestatem justitiæ, sed propter aliam, quam in ipsa justitia intendit. Nec obstat, quod una virtus imperat alteri, sicut unum vitium imperat alteri, ut quando eleemosyna imperatur a charitate; respondetur enim quod tunc materialiter est actus virtutis imperatæ, sed formaliter est virtutis imperantis, eleemosyna enim, quæ imperatur a charitate solum deservit, ut præbens materiam charitati, non ut manens intra limites misericordiæ: sicut e contrario quando fit propter vanam gloriam, destruitur motivum misericordiæ, et fit illa eleemosyna materia vanitatis. Eodem ergo modo quando refertur ad finem alterius virtutis imperantis, fit materia illius, et formalitatem ejus induit, sicque materialiter solum manet in proprio.

LVIII. Confirmatur ex D. Thomæ. Nam supra quæst. XIII, artic. I affirmat: « Quod quando martyrismus imperatur a charitate, materialiter est actus fortitudinis, et formaliter est actus charitatis; » ergo sentit, quod non habet speciem propriam fortitudinis, quia si haberet, non solum materialiter, sed etiam formaliter esset actus fortitudinis; species enim est formalissima quidditas rei. Si ergo solum materialiter est fortitudinis; non ergo specificè est fortitudinis, quia specificè, et formaliter idem sunt. Item in hac quæstione XVIII, artic. VI dicit: « Quod actus humani species considerantur formaliter secundum finem, materialiter autem secundum objectum exterioris actus. » Et in solutione ad secundum inquit: « Quod ordinari in talem finem licet accidat actui exteriori, non tamen actui interiori, qui comparatur exteriori, sicut formale ad materiale. » Ergo secundum D. Thomam in actu interno vo-

luntatis finis se habet ut formale quoad speciem actus humani, et objectum ut materiale; non ergo objectum dat speciem, sed finis quando imperat actum, quia si objectum daret speciem formaliter se haberet, nihil enim formaliter est, quam id quod specificat.

LIX. Respondetur in hoc argumento plus insinuri, quam proponi. Proponitur enim auctoritas Aristotelis quomodo ipse intelligat, quod ut actus aliquis sit justitiæ, vel virtutis, oportet quod operetur propter ipsam honestatem justitiæ, vel virtutis. Insinuatur vero alia difficultas, quæ solet in ista materia agitari, quomodo objectum, vel circumstantia actus moralis debeant esse volita, ut speciem suam actui communicent.

LX. Quantum ad sensum Aristotelis dicimus ipsum recte tradi a D. Thomæ super secundum ethicorum, lect. IV, §. Ponit secundam solutionem, et sextum ethicorum, lect. X, quod quando dicit Aristoteles quod ut aliquis sit virtuosus, aut justus, oportet quod in his, quæ operata sunt juste, aut virtuose operetur ut eligens; et eligens propter ipsa, sensus est: « Quod non sufficit ad actum virtutis, seu ad operationem factam secundum virtutem quod operetur ex passione, aut timore res illas justas, nec operetur propter lucrum, aut inanem gloriam, sed operetur propter hoc, scilicet propter ipsum opus virtutis, quod secundum se placet ei, qui habet habitum virtutis tamquam ei conveniens. » Ita D. Thomas. Itaque ut actus sit virtuosus debet esse non solum ex electione, sed etiam propter ipsam virtutem, seu propter honestatem virtutis; ubi ly propter tripliciter potest intelligi. Primo negative, quod non sit propter aliquod motivum malum, vel indifferens, sed propter bonum finem, si quidem una